

(111)

2

# ORATIO

DE AMOENITATE  
AC PRAESTANTIA

STUDII RELIGIONIS

HABITA

AD ACADEMIAM SALMANTICENSEM

XV. KALEND. NOVEMB. ANNI MDCCCXXVI.

A

P. M. F. MARIANO CUEVAS,  
CISTERCIENSIS ORDINIS, DOCTORE THEOLOGO,  
ET SACRAE, ATQUE FORENSIS ELOQUENTIAE  
MODERATORE.

---

Salmanticae:

Apud Joan. Vallegera, Typ. Univers.

5 166 50542

# ORATIO

DE AMENITATE

AC PRAESTANTIA

*Si quis adeò temerarius sit, ut  
Deos etiam contemnat, non erit vir  
fortis, sed fatuus.*

Aristot. Magn. Moral. L. 1.º c. 5.º

P. M. F. MARIANO CUEVAS,  
CISTERCIENSIS ORDINIS DOCTORE THEOLOGO,  
ET SACRAE ATOQUE FORENSIS ELUCENTIAE  
MODERATORE



Salmaniceae:  
Apud Joann. Vallegera, Typ. Univers.

(III)

**O**rationem alteram pro sollemni  
Studiorum inauguratione instituenti,  
haud mihi diu multumque, Sapien-  
tissimi Doctores, nobilissimique Ju-  
venes, cogitandum fuit, qua de re  
potissimum dicere deberem.

Occurrebant undique, et agmine  
quasi facto sese offerebant illa vestra  
in Religionem pietas, studium, amor,  
quae cum semper, tum maximè quin-  
que illis aeternum memorandis eni-  
tuerunt diebus, queis ad DIGNISSIMI  
RECTORIS vocem, vos ad sollemniter,  
et ut ita dicam, academicè persolven-

(IV)

da opera, quae pro magni Jubilaei  
impetratione injuncta fuerunt, invi-  
lantis, ostato tempore, incredibili ac  
pene divino motu omnes in aihum  
convenistis. *Sic enim adeo temerarius sis, ut  
Deos etiam contemnat, non erit vir*  
Tantam enim modestiam, tam in-  
usitatum inauditamque in aetate ad-  
modum levi gravitatem demirata in-  
clyta haec Salmanticensis Urbis, aurea  
illa et Patriae, et Academiae nostrae  
tempora evocata fuisse existimavit;  
et praestantissimos Homines, qui ex  
hisce aulis egressi, Tridentum prope-  
rarunt, inque sacratissimo illo totius  
quoadi coiventu audaciores indulgen-  
tiarum hostes voco, et scriptis proflis-

gaverunt ad huc vivere, prope illi videbatur.

Accedebat, non hujus Civitatis solum, non Hispaniae, non Europae, sed Christiani Orbis alacritas, qua superiore praesentique remissionis anno, proborum omnium voces ultro resonarunt; cum post tam diuturnum nefariumque in Religionem exortum bellum, post teterrima quae transierunt tempora, adhuc illam in Populis alta mente repositam, et super horrendum impietatis monstrum, quod omnem fere terram pervasit, augustum caput erigere ingenti gaudio prospiciant.

(VI)

Quare in tanto Civium plausu,  
Populorumque laetitia communi fas  
esse non duxi de alia re hodierno  
die, quam de Religionis studio, disse-  
rere.  
Hoc argumentum cum loco, et  
tempori, lectissimorumque hominum  
frequentiae, tum etiam muneri meo,  
et expectationi vestrae quam aptissi-  
mum judicavi: ac de eo quidem solita  
brevitate dicturus, hominibus reli-  
giosis, et ad humanitatem factis in-  
jurius sim, si de benevola eorum at-  
tentione subdubitem, quibus causa  
per se ipsam adeo commendabilis esse  
videtur.

(VII)

55 Elsi humaniores litterae, ingenuae artes, scientiaequae omnes suam utilitatem, suumque peculiare decus habeant; semperque optime de hominibus mereantur ii, qui eas excolunt, atque perficiunt; Religionis tamen studium caeteris, quibus humana mens illustrari potest, et nobilius, et jucundius, et praesenti hac qua vivimus tempestate, utilius fore existimamus.

311 Angustis enim conclusae illae limitibus, nec brevissimae hujus vitae terminos transcendere valentes, cum divina hac scientia, in qua de ipso supremo Numine, ejusque infinitis perfectionibus, de Homine, illius ori-

(VIII)

gine finibusque, de Revelatione, de Legibus, deque Aeternitate illa adeo scelestis invisâ tractatur, conferri nullo modo possunt.

Noverunt sane id cujuslibet nationis aetatisque viri praestantissimi: agnoscunt etiam nunc omnes veri nominis sapientes, qui in hoc studium libentiori animo incumbunt; non ut Religionem extrinsecus tantum calleant, sed ut illius bases, fundamentaque pernoscant, connexionem antecedentia inter et consequentia detegant, singulosque illius divinae catenae annulos clara luce perspiciant. Tantorum igitur Hominum vesti-



(IX)

gia prementes optimi Juvenes, divinae Religionis arcana, quoad fieri valeat, penitus inspicere, eximiaque ingenia vestra in nobilissima omnium exercere disciplina ne refugiatis: in ea siquidem non modo utilitatem ingentem, non modo aliis scientiis opem lumenque plurimum, sed et quam maximam jucunditatem reperiri adeo omnibus manifestum est, ut in controversiam revocari non possit.

Quod enim studium jucundius esse potest, quam illius Religionis, quae è sinu Divinitatis egressa, cum ipso Homine nascitur, à Noëmo post alluvionem in novos homines diffun-

ditur, à Moyse, Davide, caeterisque Prophetis sublimi carmine celebratur, è Tabernaculo in Templum, à Templo in Babylonem cum praedilecto Populo migrat; et inter tot casus, inter tot rerum discrimina, inter tot jacentium Urbium, Imperiorumque ruinas firma semper et immota consistens, aurorae lucis instar oritur, crescit, augetur, et ad meridiem usque progreditur?

Quod spectaculum litterato homine dignius, quam perspicere Populos, Nationesque integras prout ab origine desciscunt in turpissimos quidem abire errores; sed praecipua Re-

( XI )

ligionis dogmata, existentiam nempe  
supremi Numinis, exterioris cultus  
necessitatem, immortalitatem animi,  
praemia suppliciaque aeternum du-  
ratura, in omnium gentium corde al-  
tius defixa manere?

„Si totum Orbem peragres, ait  
„Plutarchus, \* invenies Urbes sine  
„moenibus, sine litteris, sine domi-  
„bus, pauperes sine nummis, thea-  
„tris, gymnasiis. At Urbem sine Tem-  
„plis, sine Diis, quae non preces  
„fundat, quae non juret, non con-  
„sulat Oracula::::: nemo reperit, re-

---

\* Disput. in Colot.

(XII)

„perietque. Immo facilius ducō ac di-  
„ficari posse sine solo Urbem, quam  
„posse Civitatem cogi, et subsistere  
„fide Deorum sublata.”

Et Tullius: „nulla gens, inquit, \*  
„tam fera, nemo omnium tam imma-  
„nis, ejus mentem non imbuerit  
„Deorum opinio; multi de Diis prava  
„sentiant: id enim vitioso more fieri  
„solet: omnes tamen esse vim, et  
„naturam divinam arbitrantur. Ne-  
„que verō id collocutio hominum,  
„aut consensus efficit: non institutis  
„opinio est confirmata, non legibus.

---

\* Tuscul. Disput. Lib. 1. c. 13.

( XIII )

»Omni autem in re consensus omnium gentium lex naturae putanda est.»

Ex his, aliisque quam plurimis, quae afferri possent, illustrium Scriptorum testimoniis, invictè ostenditur communem semper fuisse consensum de Divinitate omnium moderatrice, latentium conscia, mendaciis infensa, bonos denique remunerante, improborumque vindice, unde à Poetis millies celebrata tanquam pios in Elysiis aeternum beante, scelestosque in Tartaro acerbissimè puniente.

Sed cum pulcherrimae hae notiones etsi diffusae per mortales omnes,

(XIV)

tot sint erroribus deformatae, ut per pauca nativi decoris vestigia retineant: cum Populos etiam excultos doctissimosque, turpiori Polytheismo, omnique vitiorum genere infectos videamus; humanae mentis imbecillitatem, revelationis, et reparatoris alicujus, qui gravissimis naturae vulneribus medeatur, necessitatem nullo negotio recognoscimus.

Huuc esse Messiam illum à miserrimo primiparentis lapsu humano generi promissum, per octingenta et amplius lustra expectatum, à sacris vaticiniis quam apertissimè praedictum, et in tempore ex Virgine natum,

tam perspicuè ejus doctrina, miracula, mors, resurrectio denique probant, nihil ut dari possit luculentius.

Ad haec: si citissimam Evangelii propagationem non armorum vi, non eloquentiae robore, non modis quibus homines moveri, flectique solent; sed à duodecim abjectis imperitisque hominibus factam cernimus; si Graeciam, si Latium, si universum Orbem ad fidem conversum aspiciamus; si Philosophos, si Augures, si Caesares, christiano nomini infensos quondam hostes, Christi Crucem adorantes videmus; si denique Civitatem illam, quae aeterna dici voluit, quaeque

totius superstitionis Gymnasium eleganter appellata fuit, Christianae Religionis caput, unitatisque Catholicae centrum à D. Petro ad Leonem XII usque, effectam intuemur: nonne hanc unicam veram Religionem, nonne ejus auctorem Deum esse absque ulla haesitatione affirmare debemus?

Quid si Martyrum, qui pro ea sanguinem perfuderunt, si Patrum, qui sapientissimis scriptis illam propugnarunt, si praestantissimorum hominum, qui ad nostra usque tempora validissimis rationibus omnia impiorum sophismata dissipaverunt, testimonia in medium afferre velimus?



((XVII))

Nonne luce meridiana clarius  
apparebit Religionem Christianam  
maximum illud esse Omnipotentis  
opus adversus quod portae Inferi nun-  
quam praevalcbunt?

Nihilominus post tot, tamque ra-  
diantia de Divinitate Religionis testi-  
monia, post tam illustres de Genti-  
bus, de Haereticis, deque omnibus  
inimicis reportatas victorias; postre-  
mis hisee temporibus turba homi-  
num emersit, qui non unam aut alte-  
ram veritatem ut olim, non hoc aut  
illud dogma; sed Religionem omnem  
funditus evertere, Deumque ipsum  
è Coelo detrudere impio, temera-

(XVIII)

riorque ausu conantur.

Sed qui tandem sunt ii? quibus  
aut ab oris inexpectati venerunt?

Si eos audimus, homines terris  
datos, ut ignorantiae tenebras depel-  
lant, lucem ubique gentium diffun-  
dant, felicitatis fontes mortalibus hac-  
tenus ignotos patefaciant; uno verbo,  
progeniem novam demissam è Coelo,  
ut saturnia redeant tempora, in illis  
venerari tenemur.

Verum si illos attentius inspici-  
mus, in aliquibus (nam maxima eorum  
pars nihil aliud, quam conductitia  
gens, servumque pecus) humaniorum  
litterarum, aliquarumque artium dis-

ciplinam, sermonis venustalem, ingenii acumen, dicendi copiam forsitan deprehendemus; sed in rebus ad Religionem, moresque spectantibus, audacter, et qua possum amplissima voce dico eos omnes ignorantia summa, summaque perfidia laborare.

Hinc, si flagitiosissima eorum pervolutemus scripta, non demonstrationem aliquam, non systema benedeductum, in quo imis-prima respondeant, non denique alicujus ponderis argumenta; sed ineptias, sed aniles fabulas, pueriliaque sophismata sale nigro ut plurimum aspersa, philosophico supercilio, meretricia fronte,

tate amocitateque, quantis rosis, et

atque dictatoria voce prolata dumtaxat offendemus.

Hinc, si Religionem illorum persecutemur, Deismum, Atheismum, et quod forte pejus, Indifferentismum: si Mores, Epicureysmum, Cynismumve: si Leges, vim, utilitatem, voluptatem: si Politiam, furorem quemdam impatientem jugi, primum hominum statum, quem Belluarum instar fuisse praedicant, anhelantem, et Sacerdotio aequae ac Imperio, Regibus pariter ac Pontificibus supremum minitantem exitium compertiemus.

Hinc, ubicumque horrendum sys-

tema liberrimè explicare potuerunt, Thronum et Altaria everti, optimos Principes, atque Sacerdotes trucidari, omnia societatis vincula dirumpi, et genus humanum prope in interitum ruere, non jam auribus nostris audivimus; non in veterum scriptis lectitamus; sed hisce oculis nos omnes maerentes, ac perterrefacti conspeximus.

Quae quidem omnia à Religionis inscilia, neglectuque provenire, quis vestrum est, humanissimi Auditores, qui in dubium vertere audeat?

Ergo agite optimi Juvenes Hispaniae et amor, et spes: quanta suavitate amœnitateque, quantis rosis, et

violis constratum sit, quod ad Religionis penetralia ducit iter attendite: atque ipsius praestantiâ, utilitate, et ut nunc sunt tempora, etiam urgenti necessitate ob oculos semper posita, ad illius studium toto, ut ajunt, pectore incumbite.

Quod ut commodius fiat; **AUGUSTUS REX NOSTER FERDINANDUS** Religionem in omnibus Hispanici Imperii Academiis publicè edoceri jam pridem optimo consilio praecepit; atque illam nunquam satis laudandam Cathedram, quae Religionis nomine decoratur, munificentia vere regia ubique erigendam curavit.

Reliquum est, ornatissimi Docto-

(XXIII)

res, praeclarissimique Adolescentes,  
ut tanti beneficii memores, dignas  
AMPLISSIMO PRINCIPI grates persol-  
vamus; et usque ad regale solium vo-  
cem jucunditatis efferentes, illi, quod  
olim Martiano Chalcedonenses Patres,  
dicamus: „Haec digna vestro Impe-  
„rio: haec propria vestri Regni::: per  
„te Orthodoxa fides firmata est::::  
„Coelestis Rex, terrenum custodi. Rex  
„Coelestis, Augustam conserva dig-  
„nam pacis.”

Haec Hispaniae, haec Ecclesiae,  
haec vestrae hujus Salmanticensis  
Academiae sollemnia, sempiternaque  
vola.

DIXI.

resque precipue in primis Adolescentes  
ut laus beatorum in memores, dignas  
Amatissimo Patris, gratias parol-  
viamque etiam ad regale solium vo-  
centurque ad illi quod  
omni Manuque Obsecrationes Patres  
dianus: «Hac digna vestro impe-  
«sic haec propria vestri Regni: per  
«tel Orthodoxa: fides firmata est:  
«Ecclesia Rex terrenum custodi Rex  
«Ecclesia: Augustam conservat dig-  
«nam pacis» illius vestri  
—Hac Hispania, haec Ecclesia,  
haec vestrae Regni Salamanticensis  
Ardemine sollemnia, semper etiamque  
vota. vestri Regnique Regni